


COMMENTARIVM XII.

EXCVRSVS EPIGRAPHICVS

LIBER

RAYMVNDI GVARINI.



NEAPOLI
APVD RAPHAELEM MIRANDA
1830.

Lapidem, quem reprobaverunt.
Psalm. 117.

MONITVM.

Monumentorum, quae adhuc latitant, iuxta ac evulgatorum, de quorum sententia parum constat, mihi eadem videtur conditio. Quin etiam posteriora haec, si male sint exposita, vel descripta, in peiore quoque conditione sunt: nam veri ignorantiae addunt erroris praeiudicium. Et nova igitur sollicite inquirenda, et nota retractanda laboriosius, si minus accurate fuerint tractata ab iis praesertim, quorum nomen in re literaria publica magnifice resonat. Qui tamen in his nec ita reprehendendi, ut recentioribus ludibrio

sint, nec in caeteris sic laudandi, ut recentiores sordescant, quod nonnulli maligne moliuntur. Tenes iam duplicem Commentarioli huius propositam finim. Cui nunc velim illud nuncupatum, disce ex brevissimo titulo adposito:

MINERVAE . VINDICI
VOL . LIB . M

Si plura desideres, frustra es. Vale.

§. I.

AECLANENSIA QVAEDAM PARTIM RECENS DETECTA AFFERVNTVR, PARTIM EDITA IAM CONFIRMANTUR, AVT RESTITVVNTVR:

Primas sibi iure suo vindicat patria mea, quae annis abhinc duobus supra viginti novi semper aliquid, me curante, orbi literato profert. A facilioribus initium ducam, quaeque per me inspecta, exceptaque, asterisco praenotantur, alia secus, more meo.

I.

D . M
ANNIA . SVCCES
SA . CORNE
LIO . FELICISSI
MO . CONIVGI
B . M . F.

2.

*

TREBATIAE . IANVARIAE
MAMMAE
M . TREBATIVS . VALENS
ET . SIBI

Trebatios inter Aeclanenses noti aliunde *Trebatius Quartus*, et *Trebatius Eroticus*, quos utrosque libertini generis habeo. *Mamma* mihi est *Mater*, ut *Tata* pro *patre*, quae naturae voces nescio quid blandius auribus insusurrant. *Valenti* Pater cum matre gentis eiusdem, quod non video, cur tantum admirationis, negotiique nonnullis facessiverit.

3.

*

. . . . .
. . OL . AECL . .

Lege: *Colon. Aeclan.* Exceptum e laminae plumbeae fragmento, cuius longitudo aequalis palmo uni supra uncias novem, latitudo vero pollici uni cum dimidio.

4.

. . . .

AE . L . F

III . . . .

Fragmentum marmoreum, quemadmodum et duo haec, quae sequuntur.

5.

. . . TAN

. . ORVM

6.

. . . . . .

LIVIA. . .
SALIC. . .
QVAE. . .
INTER . .
IVDIC. . .

7.

*

EX . OF . IM . C . SA . .
O . FIGLENC . C . M . .

In tegulae fragmento, quod fortasse sic restituendum: *Ex officina immuni C.* Satrii, sive alterius, quem mavis, *opus figlin. Encii*, aut *Encolpi*, *curante Amphione*, vel *Amphitruone*, aut *Ampliato*, vel alio simili nomine servili. Nomen *Encolpi* occurrit inter marmora aeclanensia. In sigillo item figulino, characteribus τοις ανκγλγπτοις, idest non excavätis, sed extrinsecus exporrectis, haec leguntur:

8.

Q . POPPHAEDI
SYNHAEMI

Popphaedi mihi est *Popedii*, sive *Popidii*, quae voces osci penitus fundi. E vocis huius τη οπθογρωφια mihi hactenus ignota haec videntur colligenda. 1. *Popedios* cum adspi-

ratione prolatos. 2. Syllabam, tum priorem, tum secundam producendas, alteram consonae P duplicatione, alteram τῆς διφθογγου AE potestate.

9.

LVCI . RATELLI
FAMOLA

In fibula argentea Gens *Ratellia* ignota hactenus. Item in altera eiusdem metalli sic graecis characteribus:

10.

TEOΔA
BIVA

Graecis item characteribus decurrit lapis hic funebris, quem *Polinices* conservae amicae, cui nomen *Candidata*, ponit:

11.

*

ΠΟLΙΝΕΙΚΗΣ
ΚΑΝΔΙΤΑ
ΤΗ ΦΙLΗ

Graecis etiam literis inversis in gemma subrubri coloris cum muliere stante, laevaque abundantiae cornu sustinente, sic legitur:

12.

*

ΔΙΟΓΑ
COC . . VI

Quae sic restituerim: Διογενη ἁσω σε VI: *Diogenes, saturabo te* VI. idest pro sexta vice, beatum efficiam segete locuplete. Ad lin. 2. post vocem COC levi fractura gemma laborat, quam implendam censui litera E. Graecam quoque censeo tesserulam eburneam, forma rotundam, cuius a parte aversa Genius

alatus sedens, et cycnum manu tractans, in antîca autem haec leguntur:

13.



Initialem Θ haberem pro θεαμα, vel θεαση, idest *Spectaculum*, vel *spectabis* VIIII. nisi pupus a parte aversa moneret de *tesserula alimentaria* pueris indigentibus publice adsignata. Referam et hoc loco mirae elegantiae, magnitudinisque, qualem decebat homines progeniei minus, quam nostra, vitiosioris, anulum argenteum, cuius diameter talis, qualis sufficiat hominum nostrorum duplici annulari. Argenti pondus aequale unciae uni cum triente. In fronte anuli Isis pulcherrima αναγλυπτος cum loto ad capitis verticem, duplicique vitta, quae a temporibus ad pectus defluunt. in parte anuli concava post Isidem sic osce inscriptum videas:

14.

*

δΥШΛ

ΠʹΥΧ

Λ883

quod eruditis excutiendum relinquo. In anulo alio aeneo, literis inversis, legi :

15.

*

VAP

IVƎ⅃

SAV

Idest : *Paule*, *vivas*.

Gemmarum porro mihi seges haud mediocris oblata, quas non placet heic sigillatim enumerare, unam, itemque alteram tantum adumbrare contento. Prior Faunam prae se fert cornutam, sedentem, Faunum infan-

tulum, et hunc cornigerum, utraque manu complectentem, cum sigla K superne, inferneque linea transversa apposita ad dexterum gemmae latus. Altera multo elegantior, in qua vetat pudor serio, ac diu immorari, eamque credo ad ritus Gentium nuptiales respicere. Nam refert a parte laeva Sacerdotem barba insignem, sedentemque, aram in medio, sed paullo humiliorem, quam consequitur Fauna pedibus caprinis, nuda omnino, forma egregia, turpicule aram versus acclinis, manu ad femur applicita obscene, cui riget a tergo Herma, priapo erecto. Dignus etiam, qui hoc loco memoretur, Claudii numus aereus cum patina pulcherrima coloris subviridis, cuius a parte antica Claudii imago cum titulo: NERO. CLAVD. CAESAR. AVG. GER. P. M. TR. P. IMP. P. P. Parte autem aversa Iani templum cum hac sententia: IANVM CLVSIT. PACE. P. R. TERRA. MARIQ. PARTA. Ad latera siglae notissimae: S. C. Redeo nunc ad marmora, quorum series paullisper hactenus interrupta. Haec in duplici genere sunt, altera gentilia, christianorum alia, quae postremo loco dabuntur.

16.

*

BETITIO
*p*IO . MAXIMILI*ano*
COSVLARI . C*amp. Pat*
COL . CARTHAG*iniens.*
VICE . OPERVM . P*ubl*
PATRICIO . INTER . *se*
natores allecto

. . . . . .

. . . . . .

Desunt nonnulli characteres a parte dexteriore, quorum, ut vides, facilis restitutio. Nihil tale sperandum, audendumve pro lineis extremis, quae caeteros prosequebantur Betitii honores; nam titulus ad classem honorariorum omnino referendus. Characteres elegantissimi Antoninianam subolere aetatem videntur. Marmoris sex tantum supersunt fragmenta, quae, si paullo inclementius tractes, in pulverem abeunt, utpote quae ignis vim, quo nescio conflagrationis casu, passa.

Betitiorum aeclanensium seges ampla : nam praeter Betitios Pios , et Maximilianos , extant et Rufini , et Quintiliani (1) , et Eliades , et Rufi. Nec amplius dubito , quin de Betitio Pio Maximiliano intelligendus sit mutilus titulus aeclanensis alibi recitatus , sicque restituendus :

*

C . *Betitio* . PIO
*Maximi*LIANO
C . C

Betitius interim Pius pluribus de causis commendandus , nam et Consularis Campaniae fuit , et Patronus Coloniae Carthaginiensis , et Vicarius Operum publicorum , et Patricius inter Senatores allectus , nisi fallor. Non enim qui Senatores , iure videlicet praediti sententiam in Senatu dicendi , hi continuo Patricii , quorum longe nobilior conditio. Ecce nunc tibi Betitium alterum, cognomine *Pietatem* , cuius cippus ingens nuper effossus , murique angulo protinus inaedificatus

(1) Vide *Ricerche* etc. pag. 144. 145. 151.

ita, ut pateat pars sinisterior cum αναγλυφη simpuli, seu urcei, una tantum ex parte ansati, latitante parte dexteriori, in qua *rosae* typum exculptum affirmant, quibus videndi copia fuit, illi similem, qui conspicitur in alio Betitiorum cippo alibi per nos commemorato. Illum sic habe per nos descriptum, restitutumque.

17.

*

C . BETITIO . C . F . *c*
OR . PIETA*ti*
PRAEF . COH . PR
*fl*AVIAE . COMM . *Cur*
*v*IARVM . Q . IIII : VIR . *i* . *d*
*iii*IVIR . QVINQ*uennali*
BETITIVS . PIVS . FIL
PATRI . OPTIMO . E*t*
*n*ERATIA . PROCV*la*
*v*IRO . OPTIMO . FECER

Pietatis cognomen neminem turbarit, cui nota *Vacculae*, *Asinae*, *Plantae*, *Sibillae*,

aliaque feminei generis cognomenta innumera. De paterno *Pietatis* cognomine *Pii* sine dubio deductum filio cognomen, cuius facile aut filius, aut nepos Betitius ille Pius, de quo alibi (1) memoratum. Habes et Betitium Pium Maximilianum, virum Hadriani tempestate insignem (2), cuius fortasse filius extitit Betitius num. 16. Neratiam porro Proculam, Betitii Pietatis uxorem, cognatione coniunctam tene cum Neratio illo Proculo, cuius mentio iniicitur in marmore proxime citato in notula.

Betitii Pietatis haec in marmore ornamenta recensentur. Praefectura Cohortis *Flaviae* COMM. An *Communis*? nullum de hoc spondeo vadimonium. Curatio viarum. Quaestura. Quatuorviratus iuridicundo. Quatuorviratus Quinquennalis.

His omnibus antestant fragmenta duo marmoris plane praestantissimi, quod diffractum in fabricae, nescio quam, partem migrasse, constat. Quae supersunt, fragmenta lateris tantum dexterioris, in unum coalita

---

(1) *Ricerche* etc. pag. 131.

(2) Ibid. pag. 108.

latitudine excurrunt per palmos quinque ultra trientem; altitudine vero adsurguut palmis tribus cum triente. Spatiorum hinc aequatis rationibus, desiderantur a parte laeva palmi fere tres. Mira characterum elegantia, qui a linea summa ad imam per gradus continenter decrescunt. Suppetiae, pro viribus, allatae, ut tute ipse vides in subiecto schemate.

L. Eggio. L. F. COR: AMBIBVLO
Pompeio. Lon GINO. CASSIANO. L. MAE
cio. Postumo. Cos. FLAM. CLAVD. SALIO. COLLINO. PR
Tr. Pl. Procos. Pro V. MACEDONIAE. Q. CANDIDATO
Leg. Traiani. Parth ICI. AB. EODEM. ADLECTO. INTER. PATRI
cios. Trib. Milit. LEG. XI. C. P. F. XVIRO. STLITIBVS. IVDICANDIS
Pa T. COL. P. D. D

Titulus mere honorarius, utpote Patrono Coloniae aeclanensis positus *decreto decurionum*. Iactura partis laevae marmoris nomen cum praenomine patroni invidit, cui plura cum aliis nominibus indita cognomina. De Gente *Ambibula* prima succurrit coniectura. Ad annum V. C. 879. Consulum biga sic consignatur: *M. Annio Vero* III. *L. Vario Ambibulo*. Norisius (a) pro *Ambibulo* mavult *Ambiguo*. Et sane si marmoris nostri iactura *Ambibuli* nomen non invidisset, nihil foret dubitandum, quin suus *Ambibulo* locus esset tuendus, amoto procul *Ambiguo*. Res tamen etsi non certa, sua non caret probabilitate. Marmoris interea *Ambibulo* nomen *Eggii* potius, quam *Varii*, cum praenomine L*ucii* restituam. Tituli restitutionis maxima ex parte vadem do Cl. Collegam meum Burghesium, in cujus sententiam pedes in talibus libenter eo.

L. itaque Eggius Ambibulus ille idem fuisse videtur, qui an. Aer. Vulg. 126. consul processit, cui uni referendus ille omnis cognominum, et nominum apparatus.

(a) **Epist. Consul.**

Fuit igitur et Consul, et Salius Collinus. Salii quippe alii *Palatini* a Numa instituti, alii *Collini*, quorum auctor Tullus Hostilius, qui et Quirinales dicti, quod in Colle Quirinali *sacrarium* habebant, unde *Salii* etiam dicti *Quirinales*. Plures apud Gruterum invenimus *Salios Collinos*, quos inter ciet P. Coelium Balbinum (1). Fuit *Ambibulus* et Praetor. et fortasse Trib. Pl., et Proc. Prov. Macedoniae. Item Quaest. Candid. et Leg. Traiani Parthici, ut recte coniicit Burghesius. Denique Adlectus inter Patricios, et Trib. mil. Leg. XI. Claudiae Piae, Fidelis. Legionis huius, praeter loca memorata incidit loco alio mentioapud laudatum Gruterum (2) De Xviris stlitibus iudicandis nihil occurrit adtexendum.

Titulum Burghesius Ambibulo positum ab Aeclanensibus censet, quo tempore suum iniit consulatum, quod valde probabile, ut caetera, quae communicavit nobiscum pro integra tituli restitutione, quaeque, festinante

(1) Pag. 393. n. 6.
(2) Pag. 369. n. 4.

Typotheta, non sine molestia, praeterire, necesse est.

De imaguncula tantum aenea, eaque pulcherrima, fundi aeclanensis monitum volo lectorem, quae Amorem exhibet manibus a tergo revinctis. Eam sibi comparavit Fridericus Cassittus, V. C., qui, qua de causa aliunde sibi adscitam, quam a nostris, asserit, non intelligo. Testimonium contra dicunt iidem ipsi, a quibus ille accepit. Aut ergo mentiuntur hi, aut ille memoria lapsus est.

Marmoribus aeclanensium christianis alibi productis haec modo recens detecta addenda:

19.

*

Hic . *requiescit*
in . *Somno. pacis*

FELIX. QVI. VI*xit*
ANNIS PMS. XL *dep*
EIVS XII KL FEBRS FL
VENANTIO VCC. CO*s*

Annus V. C. 1237.

20.

*

† B † M †

HIC REqui

ESCIT *in*

SOMN*o pa*

CIS FVLGE

NTIA QVE

VIXIT ANNIS

PLs Ms XL DE

POSITIO EI

VS II NONAS

FEBRvARIAS

FL, FELICE VC

Hoc est: Aerae vulgaris anni 511. Pauca adhuc ad rem aeclanensem pertinentia, et finem paragrapho huic faciam.

Titulum aeclanensem loco suo (1) olim recitavimus, qui est huiusmodi:

C. QVINCTIO
C. FIL. COR
BASSO. II. VIR.
AEDIL. II. VIR.
IVR. DIC
PONTIF
C. BAEBIVS. LVPVS
INTIAPRC
PATRONO. OPTIMO
FECIT

Negotium, nec sine causa, facessiit Muratorio monstrosum illud INTIAPRC, quod recudendum putavit *intra provinciam*. Omnino *extra provinciam*, ut consideranti patet. Nec magis prospere ipsi quondam de sepulcralibus dimensionibus cogitavimus, cui cogitationi adversa fronte repugnat locus ipse voci

(1) *Ricerche*, etc. pag. 105.

huic portentosae adsignatus. Longe auspicatius nunc corrigendum sic censemus: INTER. PATRONOS. PATRONO. OPTIMO. Formula quidem novitatem olet, sed arguta tamen, et a talibus minime abhorrens.

Paucis demum lubet confirmare, quae in *Appendice* anni 1815 (1) tetigi cum Cluverio de Velleiano, *Asculanensi Minatio*, quem *Aeclanensem* sine controversia fuisse, oportet, et cieri posthac oportebit. Quandoquidem *Asculum* duplex: *Appulum* unum, alterum *Picenum*. Prioris derivativus est *Ausculinus* apud Scriptores Agrarios (2). At ex *Asculo* Picentium apud Scriptores latinos *Asculanus* tantum perpetuo derivatur: *Asculanensis* nusquam occurrit. Sic Cicero (3) *Asculani generis*, non *Asculanensis*, dicit Torquatum, *cui maternum genus ex Asculo Picentium*. *Asculanum* item, numquam *Asculanensem*, incurres in Thesauro Inscriptionum Gruteriano (4), et apud Scripto-

(1) Pag. 19.

(2) Goes. *Script. Agrar.* pag. 126.

(3) Orat. pro Sulla.

(4) Pag. 296 381 num. 1 465 num.

res universos Agrarios (1). *Aeclani* ex adverso unum, idemque perpetuum derivativum: *Aeclanensis* nimirum, vel *Aeculanensis* sine contractione. Sic apud Agrarios (2). Ut taceam de titulis aeclanensibus innumeris per nos loco suo productis, de quibus supervacaneum est commemorare. Procul igitur amandandus Paterculi *Minatius* ille *Asculanensis*, qui fato malo in vulgatis editionibus hactenus irrepsit, invaluitque, restituendusque sine haesitatione ulla *Aeclanensis*.

§. II.

Tituli nonnulli ad τῶν ἀυτογραφῶν veritatem exacti, aut pro viribus expositi.

Marmor Frequentinum relatum in Comm. VII. pag. 41 ipsi tandem consuluimus, propriaque manu descripsimus. Nomen loco, ubi effossum, *a S. Stephano*, prope nemus. Marmor latum, palmos duos cum quadrante, altum palmum unum item cum quadrante, sicque omnino habet. *

---

(1) Pag. 58. 118. 119. 143.

(2) Pag. 110. 126. 145.

1

A. SEPPIVS. A. F. SECVN
CRITIA. P. F. POLLA
SEPPIAE. NEPOSILLAE
QVOD. DECVR. FAORE. FILIA
PARENTIBVS. SVPERSTES. PARENTES
SVPERSTITES. FILIAE. FECERVNT

Notanda vox *Neposillae* pro *Nepotillae*, blandiendi gratia. Matris nomen *Critia* , non *Cronia* , aut aliud quidvis. *Critias* nomen viri apud Gruterum , in quo gentis *Critiae* vestigium nullum. Caetera videsis in Com. supra citato. Communicatum et mihi nuper epigramma aliud nitidissimum , effossum in agro *Carisiae* apud Frequentum , ut ne te putes fines Aeclanenses hactenus praetergressum. Est vero huiusmodi :

2

N. MODIVS. N. F. PRIMVS
SIBI. ET. SVIS
N. MODIO. N. F. PAVLO
ANNO XVIIII
METTIAE. SEX. L. PRIMAE
MATRI.

Suspicor , desiderari aliquid pro versu

ultimo. Fortasse: B. M. F. At cuius Modii *Mettia Prima Mater*? *Primine*, an *Paulli*? Steterim pro *Primo*. De Hirpinis alio tantisper declinare cogimur, sic tamen, ut nec Samnii fines excedamus. Nam ecce Boviani marmor plane insigne, nuper effossum, quod utinam ipsi per nos legere, atque exscribere potuissomus! Sed, quod est, eo uti decet, ut in proverbio est.

3

P. ARRVNTIO
P. F. VOL. IVSTO
Q. AED. PAT. COL
PAT. MVN. SAEPIN. PAT
MVN. VICENTINI. PAT. ET. CVR
R. P. TEREVENT. SACER. TVSCVL
FANITALI
ORDO. ET. POPVLVS
OB. INSIGN. FIDEM. INDVSTRM
ERGA. SE. IN. CIVILIB. OFFICIS
eT. SPLENDOR. MVNERIS.
GLADIATORI
. .). GATO. BISC. STAT. HEREDITATI

Bovianum, celebre Samnitium Oppidum. De hoc Frontinus (a): *Bovianum. Oppidum.*

(a) Pag. 103.

Lege Julia milites deduxerunt sine colonis. Iter populo amplius non debetur, quam pedibus X. Ager eius per Centurias, et Scamna est assignatus. Concinunt cum Frontino Balbus (1), et Siculus. Praeter Bovianum Samnitium, *Nuntius della Vecchia* nuper ostendere aggressus est, extitisse in Hirpinis, prope Aquiloniam, Bovianum alterum, quod Saec. X. asserit fuisse nuncupatum vulgo *Vajano*, idque ex ejus aetatis chartis manuscriptis constare. Quod si verum sit, ut optarim, difficultates illae omnes facile difflantur, quae eruditos turbant in Patavini narratione de iis, quae Samnitium cladem consecuta snnt apud Aquiloniam. Verum haec nihil ad nos.

Titulus Bovianensis *honorariis* sine dubio accensendus, quo Coloni P. Arruntium, Tribu Voltinia, Iustum, Patronum suum, debito prosequuntur honore ob fidem erga se insignem, industriamque in civilibus officiis, splendoremque muneris gladiatorii Bovianensibus praebiti. Commendatur Arruntius, quod et *Quaestor* fuerit, et *Aedilis*, et *Patronus* Mu-

(1) Pag. 121.

nicipii Saepinatium, Vicentinorum, et *Curator Reip.* Tereventinae, hodie *Trivento* in Regno Neapolitano. Quo in loco nolo tibi inobservatum praeteriri Coloniarum, Municipiorumque in eodem marmore discrimen, quasi si alterutrum pro altèrutro ius sit usurpare, quod hactenus per ignaviam factum. Plura per nos alibi in hoc vulgare praeiudicium disputata (1). Agennii (2) testimonium disertissimum tantum addere, satis esto: *Coloniae sunt, quae ex eo nomen accipiunt, quod Romani in eisdem civitatibus colonos miserunt.* Ergo ubi nulli deducti cives romanis, civitas nulla, oppidumve, *Coloniae* nomine donanda.

De Saepinatibus in regno Neapolit. sic Frontinus (3): *Saepinum. Oppidum. Muro ductum. Colonia ab Imperatore Nerone Claudio est deducta.* Tituli itaque Bovianensis aetate Saepinum adhuc *Municipium*, nondum *Colonia* erat. De Terevento vero sic habet (4):

---

(1) Illustr. del Maem. Puteolano.

(2) Pag. 58.

(3) Pag. 107.

(4) Pag. 108.

Tereventum. Oppidum. Ager eius in praecisuras, et strigas est assignatus post tertiam obsidionem, limitibus Julianis. Iter populo non debetur. Frontinum, more suo, exscribit Balbus (1). Tereventum igitur numquam veri nominis *Colonia* fuit: nam tituli Bovianensis aetate *Respublica*, non *Colonia*, dicitur, et consecutis temporibus de agri illius assignatione mera loquuntur Frontinus, et Balbus, *Coloniae* nomen ex condicto devitantes.

Arruntii honores sacri, prae civilibus, multo parciores. Vix enim Tusculano Sacerdotio fuit initiatus. Verum ecquid monstri illud *Fanitali*? Legendum puto vel *Fani Palis*, vel *Fani Dianae*, vel *Fanatico*, aut fortasse *Flaviali*, quod longe probabilius.

Iter incoeptum nunc retardat linea postrema. Nam quid . . Ↄ . GATO? Nomen cum praenomine Curatoris tituli heic latere quisque videt. Restituendum itaque putaverim sic: *Cur. D. Catio*, vel *Cato*. Sed ecquis *curator* iste tituli? *Biscenarium* intellige, vel *Biscenariae Stationis hereditatium*. Vox *biscenarii* nunc primum mihi se obviam dat. *Ex Tercenario*

(1) Pag. 141.

semel integrum occurrit apud Gruterum (1); siglis autem numeralibus, plus vice simplici. In Caligulae numo est a parte antica; C. CAES. DIVI. AVG. PRON: a postica; R. CC. PON. M. TR. P. III. P. P. COS: hoc est: *remissa ducentesima*, quae nimirum est unius HS. si ad 200 referatur, unitatis autem dimidium, si ad 100. Pro auctionibus hereditatium novi XX Galliae Lugdunensi cum Belgica, et Germaniae impositam (2): haud ignoro XL, quae Galliis potissimum imposita: scio demum et *Quinquagesimam*, omnium minimam. Haec enim est HS. duorum pro HS. 100. *Quadragesima* est HS. duorum cum dimidio pro HS. 100. *Vicesima* demum, omnium gravissima, HS: quinque pro eodem Sestertiorum numero. *Ducentesimam hereditatium* non invenio, quae foret sestertii dimidium pro quolibet Sestertiorum centenario. Vocem idcirco *Bisc.* pro re nostra potius referrem ad hominum numerum, quibus constabat *Statio Hereditatium*, quam ad pecuniae partem quotam Fisco praecipiendam pro centenario quovis hereditatium capessendarum. Quae si vera essent,

(1) Pag. 387. n. 8.
(2) Pag. 389. n. 2.

versus ultimus sic ex integro fortasse legendus : *Cur. D. Cato Biscenario* (non *biscenariae*) *Stationis hereditatium*. Caeterum si quis *biscenariae* , non *biscenario*, legendum velit , facile assentiar , praesertim si qua probabili saltem coniectura id confirmet , quo in genere non illam aspernandam puto , quod in talibus, ut in XX. vel XL. numerus non eos afficit, qui pecuniae exigendae praeerant , sed quantitatem ipsam pecuniae exigendae. *Biscenaria* igitur hoc in casu foret sestertii dimidium solvendum pro quolibet sestertium centenario, quod onus , omnium generis huius levissimum , uni Italiae , prae caeteris Provinciis , beneficii loco , impositum. Sed haec in medium satius est relinquere iuris antiqui peritioribus , in quod non vacat inquirere.

Sermonis nunc tantisper , non gentis , erit commutatio pro senticosi , incertique itineris molestia minuenda. Nam Oscum epigramma exponere , est animus , quod nobiscum communicavit CL. Spinellius.

4.

ꓘM ᒧTIM
ꓭIM. ZM
ZΠV √ M8

Quod sic legas :

MITL. MD
MZ. MIH
PHAK. LVPZ

Rei totius en tibi nunc commentariolum, quod antequam adgrediar, te meminisse volo, eam esse ingenii nostri conditionem, ut nisi per cognita ante, ad ignota transcendere nullo pacto valeamus. Nota interdum verba sunt, ut in sermone, quem callemus; res autem ignotae. Hoc in casu a verbis notis ad res incognitas adsurges. At si sermo penitus tibi ignoratur, ut in Osca dialecto, aliisve similibus usuvenit, nonnisi e rebus cognitis ad verborum notitiam devenies. Ex quo intelligas, quanti intersit in talibus, monumenta ipsa prae oculis habere, et contrectare manibus, et diu, et ex quaque sui parte quam oculatissime contemplari. Titulus ergo noster ad basim extat *mutuli* marmorei

perelegantis, in quo sculpta superne *Lupi* facies. Quibus observatis, pro epigrammatis interpretatione *κατα το ρηθον* sic tuas inito rationes. Forma R similis, Ȳ, cuius pars inferne, et superne linea transversali utrimque coniungitur, quod in his sedulo observandum volo.

I. MITL. Redde consonae T auxiliarem E: erit *Mitel.* At I pro V frequens commutatio, ut *lacrima*, et *lacruma*, *optimus*, et *optumus*. *Mitel* igitur habere queas pro *mutel*, ex quo Latinorum *mutulus*, quemadmodum ex osco *famel* eorumdem *famulus*. Teste autem Vitruvio, *mutulus* est *lapis*, seu *lignum exporrectum*, *quo trabium capita sustinentur*.

2. MDMZ, ut aliunde nosti, est *Mamers*, sive *Mars*, cui sacer *Lupus*: indeque colliges, *mutulum* hunc pertinuisse olim ad Aedem quampiam *Martis*, adeoque *Madmez* gignendi casum haberi oportere, nominativo similem, ut in pluribus tertiae Latinorum declinationis.

3. MIH, commutata I in E, erit *meh*, seu vetus Latinorum *mehe*, ex qua per crasim factum *me*.

4. PHAK redde *faxe*, vel *faxue* praeter-

itum απο *faxo*, vel *faxuo* Lucanorum, quod est *facio*.

5. Demum LVPZ est *Lupus*, mutuli nempe sive Artifex, sive Auctor, ex quo pulcre vides, mutuli τό συμβολον una *Marti*, artificisque, sive auctoris nomini quadrare. Ergo epigramma universum sic latine facili negotio loquens induces:

MVTVLVM. MAR
TIS. ME
FECIT. LVPVS

A tergo parvae Isidis aeneae legi titulum oscum huiusmodi: Monumentum repertum apud Heracleam Lucaniae

5.

*

E [illegible]. AΓIEIƧIH

Turbat forma H, quae nunc primum obviam se mihi dat: turbat multo magis vox prior, cuius characteres omnes insolentes.

Character H facile pro graeco ἡ, usurpari queat. Duae voces mediae sine nucleo, opportunissimeque sunt *Api*, et *Eisie*, in quo ad vocem *Eisie* notanda diphthongus pro syllabae quantitate insinuanda. Quid nunc voci priori faciemus? Tertius character nexus videtur TV. Si fas esset, primum characterem pro digammate aeolico accipere, legerem VOTV. Verum Oscis litera O penitus inusitata. Habeo igitur pro E; alterum pro K; tertium pro E inverso, quibus omnibus in unum conglutinatis, emerget EKE, idest latinorum *ecce*, Nexum TV. habeo pro *tua*, sublata A per ἀποστροφην puncto notatam, quod vox proxime insequens a vocali incipit. Et fortasse vox EIZIH una vox eaque integra, more nominum graecorum primae, ut aiunt, declinationis. Haec si collineant, exurgit sententia talis, oppido ad rem:

ECCE. TVA. API. ISIS

Nam eccui ignota fabulatorum commenta de Iside Apim suum, seu Osiridem, studiose quaerente?

§. III.

Quaedam eruditorum in rem epigraphicam peccata taxantur.

Gutherium, virum elegantem, iurisque consultissimum, vereor maximopere, atque exosculor. Meae idcirco in virum summum observantiae argumemtum esse volo, si quaepiam ab eo minus accurate dicta ad trutinam revocare, est animus; quod itidem de iis dictum volo, qui conferri cum Gutherio, aut etiam eidem anteferri digni putantur. Debetur enim hec viris ingenio, doctrinaque praestantibus, ut illorum elucubrationes sollertius perscrutemur, quo et ea discamus, quae sine ducibus talibus ignorare, oporteret, et ab iis caveamus, in quibus humana eisdem parum cavit natura. Utinam tale quidquam nostra olim mereantur! verum in hoc doctorum Triarios, minime Rorarios optamus, qui nimirum praelia conficiant, non cieant. Sed praeloquiorum satis.

Gutherins in de *Veteri Jure Pontificio*(1) refert ex Grutero (2) inscriptionem huiusmodi:

(1) Lib. 1. Cap. V.

(2) Pag. 173. n. 5.

MANSIONES. SALIORUM. PALATINOR. A. VETERIBVS
OB. ARMORVM. ANNALIVM. CVSTODIAM. CONSTITVTAS
LONGA. AETATE. NEGLECTAS. PECVN. SVA. REPARAVERVNT
PONTIFICES. VESTAE. V. V. C. C. PRO. MAGISTERIO
PORTII. ACILLII. LVCILLI. VITRASI. PRAETESTATI
V. V. C. C.

Sic Gruterus. Ad lin. penult. Gutherius pro *Lucilli* obtrudit *Luculli.* Ad lin. 2. το ANNALIVM dubia lectio. Iucundus legit MAGNALIUM: quae lectio tolerabilior fortisse, quam quae dat *annalium.* Scio, *arma* haec Saliorum custodiae tradita, fuisse *Ancilia*, quae per Urbem quotannis sollemni pompa efferebantur: sed hac de causa dici *annalia* potuisse, vix in animum induxerim. An loco utriusque reponendum FATALIVM? *Salium Collinum* in titulo aeclanensi supra vidimus: hic de *Saliis Palatinis* res est. Pro utrisque pulchre Virgilius (c):

Hinc exultantes Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, et lapsa ancilia caelo
Extuderat.

Quatuor in lapide cientur *Saliorum Magistri*, videlicet *Portius*, *Acillius*, *Lucillius*, *Vitrasius* cognomento *Praetextatus*, quorum *Magisterio* is honor habitus a Pontificibus Vestae, ut proprio sumptu mansiones Saliorum Palatinorum longa aetate neglectas re-

(c) Aen. VIII, v. 663.

pararent. Etsi igitur Saliorum Sacerdotes, sive Pontifices, perpetui; illorum tamen *Magister* intra annum continebatur. Utrosque (et Sacerdotes intellige, et Magistros) *Viros Clarissimos* fuisse nuncupatos, ex marmore ipso apertissime docemur. Quid ad haec Gutherius? Initiales V. V. C. C. lineae 4. *Virgines Vestales castissimas* interpretatur, quas et *Pontifices* dici, et esse iubet. Sic enim inquit: *notae literarum nihil aliud signant, quam Virgines Vestales castissimas, quae Vestae Pontifices notantur.*

Atqui Virgines Vestales per V. V. notatas, scio: *castissimas* dictas per C. C. nusquam incurri. Homines praeterea in re sacra et *Sacerdotes*, et *Pontifices* indiscriminatim dictos, nemo unus ignorat; feminas dictas *Sacerdotes*, sciunt omnes: *Pontifices* nuncupatas, nullum hactenus exemplum novimus, quo id discamus. De *Vestae Pontificibus*, viris utique, non feminis sic Halicarnassaeus (a): *ἐισι δε τινες, ὁι φασιν, εξω τȣ πυρος ἀπορρητα τοις αλλοις ιερα κεισθαι ἐν τω τεμενει της Θεας, ὡν ὁι τε ιεροφανται την γνωσιν εχουσι, κάι ἀι*

(a) Pag. 33. n. 1.

παρθενοι. Quae sic vertas: *Sunt, qui aiunt, praeter ignem, sacra alia esse prophanis abscondita, quorum notitiam habent et Pontifices, et Virgines* vestales. Sed Gutherius ipse paullo ante in duplici titulo meminerat Memmii Vitrasii Orphiti, et Vettii Agorii Praetextati, Pontificum Vestae, V. V. C. C; ut mirari subeat, paullo post in re tam clara tam turpiter halucinari potuisse.

Nec minus invito Apolline medicas afferre manus cum Sirmundo sanissimo huic eiusdem Gruterii (1) titulo conatur:

SOLI. INVICTO. MITRE
M. VLP. MAXIMVS. PRAE
POSITVS. TABELLARI
ORVM. ARAM. CVM
SVIS. ORNAMENTIS
ET. BELA. DOMINI
INSIGNIA. HABENTES
N. IIII
VT. VOVERAT. D. D

Offenditur cum Sirmundo Gutherius verbis

---

(1) Pag. 33. n. 1.

illis : *bela domini insignia habentes.* Quis non et cum utroque uritur ? soloecum quippe vel puerulis olent. Verum haec frequentia in talibus , raro auctorum vitio , quadratariorum , exscriptorumve saepius. Sirmundi certe medicina malo ipso peior ; nam *et bela* recudit in *tabellas*. Atqui *bela* hic sunt *vela*, quirum ope *aris* subdialibus, quemadmodum theatris, atque amphitheatris, umbra inducebantur. Arae autem omnes , Solis praecipue , antequam templa extruerentur, subdiales, unde secus lauros , arboresve alias excitari solitae. Vela porro huiusmodi Domini insignia habentia fuere *numero* IIII ; ita enim accipiendae notae : N. IIII ; haud *nomina quatuor* , ut Gutherius (1) suspicatur. *Arae* demum *ornamenta* erant *taeniae laneae* , aliaque huiusmodi , quibus circum cingebatur.

Pede quoque offendit in vestibulo *Aedis* cuiusdam *Augustorum*, de qua sic apud Gruterum (2) :

---

(1) Lib. III. Cap. X.
(2) Pag. 183 n. 12.

EX. AEDICVLA. AVGVSTORVM
OPVS. DOL. EX. FIG. C. PANISEI
HERMETIANI. ET. VRBICI

Opus dol. ille exponit *opus doliatum.* Dic rectius: *opus doliare. Aediculam* deinde comminiscitur ex *fictilibus doliis factam in Praetoriis castris.* Quae aegrotantium somnia! *Ex Aedicula Augustorum* ita accipiendum, ut in talibus dici consuevit: *ex praediis.* Numquid *praedia facta ex doliis fictilibus*? His nihil aliud designatur, quam *Figlinae* cuiusque locus. Quid vero illud, quod *Duoviros iuri dicundo* interpretatur *Duoviros iussos dedicare* (a)? Gruteri (b) titulus hic est:

M. PAPIVS. M. F. L. MATRIVS. L. F
DVO. VIRI. I. D
SIGNVM. CONCORDIAE. EX. C. C. RESTITVENDVM
COERAVERVNT. EIDEMQ. DEDICARVNT
ET. BASIM. GRADVM. ARAM. SVA. PECVNIA
FACIVNDA. COER. EIDEMQ. PROBAVER
AD. IIII. EID. OCT. CN. DOMITIO. C. ASINIO. COS.

(a) Lib. III. Cap. XIII.
(b) Pag. 189. n. 12.

Lapis omnino Municipalis, utpote qui ad Casinates referendus an. V. C. 714. eodemque quadragesimo ante Aeram vulgarem. Evidens hoc idem fit ex Duoviris iuri dicundo, qui nec Tribum cient, et binomii incedunt, non trinomii. Peccat praeterea Gutherius in hoc, quod in 3. linea, loco τῷ EX. C. C. quod est ex *communi consensu*, contra marmoris fidem, quod vidit Smetius, dat: EX S. C; quod foret *ex Senatus consulto*. De Gutherio satis. Pauca nunc de V. V. C. C. Winkelmanno, et Auctore Dissert. Isagogicae. E Pompeiorum parietinis haec olim prodiit locationis privatae denuntiatio.

IN PRAEDIS. IVLIAE. SP. F. FELICIS

LOCANTVR

BALNEVM. VENERIVM. ET. NONGENTVM. TABERNAE. PERGVLAE

CENACVLA; EX· IDIBVS. AVG. PRIMIS. IN. IDVS. AVG. SEXTAS. ANNOS. CONTINVOS. QVINQVE

S. Q. D. L. E. N. C

Omnia de plano. Unae initiales negotium facessunt. Inferne titulus alius occurrit, cui nihil commune cum recitato, diversis omnino characteribus, qui talis est:

A. SVETTIVM. VERVM. AED

V. A. S. P. P. DR. PROBVM. OVF

METELLI OVF

Winkelmannus, quo nescio casu, unum de titulo utroque fecit, initialesque tituli superni ad infernum protrahens, sic exponit: *Si quis dominam loci eius non cognoverit, adeat Suettium Aedilem.* Sed initialis A *Aulus* est, Suettii praenomen, non ADEAT. Quid deinde fiet de verbis postremis tituli inferni METELLI ORANT VT FAVEAT? Ad haec. Aedilibus novimus datum negotium *moderandi voluptatem circa balnea, et popinas*, ut ne quid in eis lege vetitum admitteretur, unde loca eiusmodi *Aedilem metuentia* iure dicit Seneca. At Aediles interfuisse locationum eiusmodi contractibus, qui privatas inter personas agitabantur, unde discimus? Pompeiorum porro in oppido vulgarem adeo fuisse Juliam Felicem, ut ignorari tam facile potuerit? et ad ignorantiam hanc tollendam; Aedilem opus fuerit adire?

Dissertationis Isagogicae Auctor duplicem initialium nostrarum proponit expositionem, quarum prior est: *Si quis domi lenocinium exerceat, non conducat.* Alteram huic similem, pro qua tamen minime sollicitum se praebet, priore contentus. Est autem huiusmodi: *Si quis damnatum lenocinium exerceat, ne con-*

ducito. Neutra, pace viri docti, facit satis. Nam si a locatione nongentum tabernarum cum pergulis, coenaculis, balneo, Venerioque, lenoniam profitentes arceantur, num ad eam arcessendi Curii, Fabriciique, aut Virgines Vestales castissimae? Erant, inquit, lenocinia lege damnata, qua cautum, ut stupra, adulteria, mascula Venus arcerentur. Eccui, reponam, haec ignota? atqui hoc ipso nota contrahentibus esse, oportebat, ut sibi caverent in locationibus eiusmodi, ne ab Aedilibus metuerent, quorum erat, locis *locatis* advigilare pro legum observatione, non *locandis* interesse. Supervacanea igitur in denuntiatione locationis formula haec, si ita accipiatur, uti vir doctus facit.

Mihi sic videtur exponenda: *Si quem deceat locatio eorum, nos convenito*. Quae expositio, nisi fallor, et rei locandae naturae, et privati programmatis fini satis consentanea.

Unum nunc cum Hagenbuchio meo, quem virum nulli posthabeo, bene multis etiam laudatissimis antefero. Refert ille titulum ex Muratorio (a) talem, quem hic sui oblitus,

(a) Pag. 987.

quod saepiuscule viro magno contingit, post repetit. (1):

D. M

AELIAE. VRBICAE. QVAE. VIXI. AN. XVIII
MEN. VI. D. XXXIII. FECER. VRBICVS. AVG
ET. MVIVIA. IVCVNDA. PARENTES

Procul hinc male feriata MVIVIA. Lege: MVLVIA, ut ex eodem Muratorio in altero loco. Quid Hagenbuchius ad verba: VRBICVS AVG? *Servum ego*, sic ille, *non Libertum, quoad docear, cum genitivis patronorum* LIBERTVS *per ellypsim deesse, ut cum genitivis herorum* SERVVS *subintelligi, extra controversiam est.* Atqui *Libertum*, ego aio, non *Servum*, subintelligi, necesse esse. Unde enim *Vrbicae* filiae nomen AELIAE, nisi a Patre *Aelio*, qui proinde Augusti non *Servus*, sed *Libertus*? Filiam, dicet quis, potuisse ab Augusto manumitti, Urbico Patre adhuc servitutem serviente. Non diffiteor. Sed hoc in casu dici oportuerat non

(1) Pag. 1125.

ἁπλῶς *Aeliae Vrbicae*, sed *Aeliae Vrbicae. Aug. Lib.* Verum de his plura inferius. Perpetuo-ne, inquies, aliena negotia cures, tuorum oblitus? Utraque, quoad per vires licebit, mihi semper cordi erunt. *Chalcidicum* meministi alibi a me definitum *Coenaculum publicum*, facem ad id praeferente duplici Arnobii loco, quos mirabar hactenus eruditis inobservatos. Ecce nunc tibi rei huius confirmationem opportunissimam a marmore Cupuensi, cuius tunc in mentem non venit.

. . . . M. ANTONIO
. . . . A. POSTVMIO COS
HEISCE. MAG. MVRVM. AB GRA
DV AD CALCIDIC. ET. CALCIDICVM
ET. PORTIC. ANTECVL. IN. LONG. P
ET. SIGNA MARMOR. CAST. ET. POL
ET. LOC. PRIVAT. DE STIPE DIAN
EMENDVM *et fa*CIENDVM
COERAVER

In verbis ANTE CVL. mirifice insanit Pratillius, et in τῷ CVL. sibi videre visus est numerum CXLV. Rectissime Marinius: *ante Culinam*. Literam P. facile consequebatur ROD. idest *productam*. Si igitur *ante culinam*

Porticus, ergo *Chalcidico* adnexa *Culina*, qua nimirum terminabatur. Quid vero *Culina* in *Chalcidico*, nisi in hoc *Coenaculum* agnoscas?

Cenaculum in marmore Capuensi sine diphthongo, et *Chalcidicum* sine adspiratione legimus. Quae scalptorum, ut ego arbitror, σφαλματα in his; aliisque similibus repetita eo rem adduxere, ut incertum tandem fecerint, utra scribendi ratio prae alia tutior, quibusdam ex aequo utramque aestimantibus, aliis alteram alteri praeferentibus, saniori haud raro corruptiorem. Nam et *Chalcidicus* graecis est χαλκιδικος, non Καλκιδικος, et *coena* απο τȣ κοινȣ, diphthongo οι in οε, ut αι in αε, translata, quod est *communis*, cum *coenae* fere in communi trahantur; quas si *cenas* scripseris, derivandae viderentur απο τȣ̀ κενȣ̃, quod est *vacuum*. Quid autem *coena vacua* tristius, aut miserius contingere possit? Quid inde, dices, consectarii? Ego in talibus eam mihi τῆς ὀρθογραφιας legem constitui, si modo vocis controversae scriptura veterum se exemplis tueatur, quae et de syllabae quantitate, et de genuino vocis τῷ ετυμῳ certo nos doceat. Sic, ut innumera

alia omittam exempla, *caeterum* dixerim libentius, quam *ceterum*, ut vulgo scribitur; est enim κάι ἕτερον; nec in his, aliisve nimis fidendum censeo fontibus, e quibus oppositae lectiones hauriuntur, qui non omnium purissimi perpetuo fluunt, ut in primis *Fratrum Arvalium*, quae circumferuntur, Taqulae, seu fragmenta. Adhuc-ne tibi ego alienorum dumtaxat negotiorum curator? calummiaris profecto. Habe et hoc pro Commenrarii proxime superioris pag. 29. Solitariam ב *stravit* interpretati sumus, sententiam magis, quam literam secuti. Si a litera propius abesse tibi est animus, exponito: *voluit*, subintelligendo *stratam*.

§. IV.

De Formulis A. PENDICE. CEDRI. et A CORINTHIS.

Extat apud Gruterum (a) titulus, qui ita se habet:

(a) Pag. 601. n. 10.

SEX. POMPEIO. SALVIO. SEX. POM. A. PEN
DICE. CEDRI. ITEM. AB. HORT. CVLT. H. S. E
SEX. POMPEIVS. METRODORVS. SEX. POMPEI
TON. ROGO. PER. DEOS. STYGIOS. OSS. NOSTR
QVISQVIS. ES. HOMO. NON. VIOLES. NON. TRAS. L. H.

Ex ipso autographo se excepisse, monet Smetius. Colliberto suo Sex. Pompeio Salvio titulum inscribit Sex. Pompeius Metrodorus, Sex. Pompeii TON; quod mihi est *Tonsor.* Sarcophago conditum Pompeium Salvium, integrumque, insinuant notae initiales H. S. E; *hic situs est.* Cur in precationis formula *ossa nostra*, non *mea*, ut in titulo mox referendo? Metrodorus, quem Colliberto defuncto *Locum* adsignavit, eumdem fortasse et sibimet destinaverat, cum fato suo cessisset. Quippe *ossa mea*, non *nostra* habet titulus alter uni positus, qui est huius modi (a):

(b) Pag. 594. n. 6.

SEX. POMPEIVS. FAVSTVS
SEX. POMPEI. EXACTOR
QVISQVIS. ES. HOMO. FT. VOS. SODALES
MEOS. CVNCTOS. ROGO. PER
DEOS. SVPEROS. INFEROSQVE
NE. VELITIS. OSSA. MEA. VIOLARE

Quem titulum immerito Maffeius (c) spuriis accenset, ex eo permotus, quod homo trinomius *Exactor* nuncupatur. Quasi vero non obviarent in monumentis *Ingenui* servilibus addicti ministeriis, multoque magis *Liberti*, qui libertatem adsecuti in ministerio perseverent, quod dominis praestabant servitutem olim servientes. Notandum praeterea, formam hanc precandi familiarem fuisse Libertorum Sex. Pompeii. Quibus adnotatis, ad titulum priorem redeo.

Formula NON. TRAS. L. H. duplicem admittit interpretationem, quarum prima est: *non transferas locum hunc*. Aeterna siquidem sibi, immotaque veteres augurabantur, praecipiebantque propria sepulcra. Sed fortassis votum hocce satis ante insinuatum verbis il-

(1) Art. Crit. Dipl. p. 351.

lis : *ossa nostra , quisquis es homo, non violes.* Quamobrem adridet magis haec altera interpretatio : *ne transeas locum hunc* , idest *ne praetereas locum hunc* non ante precatus: *sit tibi terra levis* , aliudve simile. Sed piscem peto.

Quid τὸ A. PENDICE. CEDRI , de quo Salmasium unum frustra quaesivisse , video? Nam custodem ille opinatur verbis his designari *arcularum e cedro*. aliove elaboratarum. Ecquid enim commune *arculis* huiusmodi cum praefixo illo *A. Pendice* ? *Cedrinas* praeterea *arculas* CEDRVM per synecdochem dictas in simplici , putaque formula , eccui demum persuadebitur ? Forcellinio honos habendus , qui verbum PENDIX primus in Lexicum transtulit , a quo sine dubio est , quod Itali dicimus *pendice* pro collis acclivitate.

Occurrit cum formula eadem inscriptio altera Gruteriana , quae nunc prostat in Museo Borbonico; sed minus fideliter sic ab eo (a) recitata :

(a) Pag. 601. n. 11.

Q. LVSCIO. PHILONI
A. PENDICE. CEDRI

. . . . . .

Contra marmoris fidem duplici de causa. I. De nihilo sunt punctula illa, quae tertiam lineam subindicant, quae nusquam est. Deinde dat ille: APENDICE, cum in marmore sit: AD. PENDICI. Ne plura. Marmor sic habet:

P. RVPILIO	Q. LVSCIO. PHILONI
FAVSTO	AD. PENDICI. CEDRI

Atqui duo haec *a. pendice. cedri*, et *ad. pendici. cedri.* non minus inter se mihi distare videntur, quam aera lupinis. *A pendice* quippe *cedri* est *Praepositus a pendice cedri*, qui locus ita dictus, quod *cedri* in eo colebantur. Quod sane officium consentit mirifice cum *hortorum cultura*, quo utroque munere fungebatur Pompeius Salvius. AD. PENDICI. autem non aliud esse videtur, quam ADIVTOR datus *Praeposito a pendice cedri*.

Ab exsilio, quo hactenus iniuria multata,

in Latiarem civitatem revocanda vox *iubatianus* in adiectivi potestatem. Lege agam, testemque afferam incorruptissimum, lapidem unum, Farnesianum olim, nunc Musei Borbonici, a Grutero iam dudum (a) productum. Judicium proferent, quorum ius est:

CHIO. AVG
IVBATIANO
STRVCT

Quid illud *iubatiano*? De Augusti servo agitur, cui *Chio* nomen a patria adscitum, quoque uno contentus esto. *Iubatiano* igitur ad τὸ *Structori*, quod nomen est γενικον, est referendum, ut sit *Structor iubatianus*, hoc est *a iuba*.

Ego cur acquirere pauca
Si possum, invideor?

Qui nunc *Chius* iste, inquies, *Servus*, an *Libertus* Augusti? nam tibi propositum, *servos* fere nullos agnoscere, qui tali nomine

(a) Pag. 583 n. 2.

non sint praenotati. Fateor. Sed placet illud *fere*, quo prudenter usus es. De *regulis* quippe agimus, quas satis est, ut in pluribus obtineant, etsi deficiant in paucis. *Chium* igitur *Servum* Augusti dixerim magis, quam *Libertum*. Sed si quis eum *Libertum* contenderit, quod servi nomine minime praenotetur, huic ergo minime repugnabo. Satius tamen, consultiusque, rem in medium relinquere. Formulam nunc alteram elucidandam aggredimur, de qua nemo hactenus, quod sciamus, sollicitum se proebuit, ideo fortassis, quod plana videbatur. Esto id quidem: non mihi tamen, non tironibus, in quorum gratiam placet, rem altius repetere.

Gruterus (a) titulum affert, de Museo Farnesiano, nunc Borbonico, in tres dispertitum columnas, characteribus oppido elegantibus, nitidissimisque, qui talis est:

(a) Pag. 579. n. 5. 6 7.

1.

APONIAE. SVCCESSAE
A. TVTVL. ORNATR
C. BATONIVS. EPIGONVS

2.

T. LAIVS. PARATVS
A. CORINTHIS
vasculum ansatum
ab uno latere.

3.

BLICIO. ABORTE
NIO. TRICLINIARCH
NIMPHE. AVE. HEL
VIVS.AVG. LECTICAR

Qui in medio positus est cum vase inferne insculpto, iterum producit Gruterus. (a), sed seorsum a duobus aliis. Notanda in tertio adprecatio: *Nimphe. ave.* Cur heic *Blicius* salutatur ab *Helvio Nimphus*? *Sponsum* intelligerem, si a muliere titulus positus: at *Helvius* vir, non mulier. Sic itaque salutatum arbitror, quod

Primo vernabat flore iuventae.

Sed haec obiter. Curas ad se nostras revocat, qui medius interiacet, cui similis hic alter (b).

C. APTVS
A. CORINTHIS

Nec dissimilem puto, qui sequitur (c):

CALLITYCHE. ZOILI
CORINT. AGRIPP.

Sic enim interpretor: *Callityche, uxor Zoili Corinthiis Agrippae*, subintellige *Praepositi.*

Formula eadem a Corinthiis in alio Gru-

(a) Pag. 639. n. 8.

(b) Ibid. n. 10.

(c) Ibid. n. 9.

teriano epigrammate (a) recurrit, cui tamen adiecta vox *Faber*, de quo loco suo infra. *Marinius* (b), quod de Grutero in mentem non venerat, epigramma totum uni fere Muratorio acceptum refert, qui illud e Grutero hauserat. *Corrupte tamen datum*, Marinius addit, *accentuum in primis defectu*, *ut operae pretium sit*, illud iterum afferre, prout legitur in marmore. Et verum id de Muratoriano exemplari: de Gruteriano non item, quod a Mariniano minimum abest, quo et nos utimur.

LVCRINAE· IVCVNDAÉ.
P. LVCRINVS P. L. THALAMVS
A. CORINTHIS. FABER
LOC. ÉNT. EST. X ⩊ M̄· ARGÉNT
SIBI. ET. SV. POSVIT

Apud Gruterum pro ENT est EMT. Quid nunc *Corinthia*?

Corinthiorum sectatorem percupidum, aucupemque extitisse Verrem, Siciliae prae-

---

(a) Ibid. n. 7.
(b) F. A. pag. 712.

donem verius, quam *Praetorem*, meminit saepiuscule Cicero. Vide in primis Verrinam VII. Meminit et in QQ. Tusculanis, ea *supellectilis* nomine generatim comprehendere contentus in haec verba (a): *Scis igitur, si quid de* CORINTHIIS *amiseris, posse habere te reliquam supellectilem salvam*: At *Corinthia* κατ᾽ ἐξοχὴν vasa quaedam dicebantur de Corinthiaco aere laborata. Romae ad Divi Petri insigne adhuc monumentum, quod vulgo *Tribuna di S. Pietro*, metallo hoc conflatum. *Vasorum* praeterea *Corinthiorum* disertam mentionem facit Tullius loco sup. cit. Sed ad rem locus Petronii Arbitri (b) extat, auro contra carior, de quo nescio, utrum viris eruditis hactenus in mentem venerit. Trimalchio, quo sodales suos amice oblectaret, sic per ludum: *solus sum, qui vera Corinthia habeam*, ludicramque assertionis suae affert rationem: *quia scilicet Aerarius, a quo emo,* CORINTHVS *vocatur*. At reponi illi poterat: unusne *Corinthus* horum *faber*? aut uni ille tibi haec emenda reservat? Ludionis idcirco

---

(a) Lib. II.

(b) Cap. XXXVI.

deposita persona, gravem viri docti assumit. *Et ne putetis, inquit, me nesapium esse, valde bene scio, unde primum* CORINTHIA *nata sunt. Cum Ilium captum. est* (Ilium hic dictam puto Corinthi Acropolim) *Annibal, homo vafer, et magnus scelero, omnes statuas aeneas, et aureas, et argenteas in unum rogum congessit, et eas incendit. Facta sunt in unum aera miscellanea. Ita ex hac massa Fabri sustulerunt, et fecerunt* CATILLA, et PAROPSIDES. et STATVNCVLA. *Sic* CORINTHIA *nata sunt ex omnibus in unum, nec hoc, nec illud.* Triplexque alio loco aeris huius miscellanei facit genus, aliud prae alio nobilius. Nempe genus medium, in quo tria metalla fere aequis partibus fusa, infimum, in quo *aes auro, argentoque* praevaluit; summum denique, ubi pars auri plurima, minima aeris. Lances item ex hoc aere confectae, unde ex eo dictae *Corinthiae*. Sic idem Petronius de Trimalchionis Coquo meminit, qui a domino *poculum in* LANCE *accepit* CORINTHIA. Quin et ASELLVM CORINTHIVM *in promulsidari* (abacum intellige) *cum bisacio positum* narrat, *qui habebat olivas, in al-*

tera parte albas, *in altera nigras.* Quid nunc, rogas, *a Corinthiis*, de quo instituta quaestio?

Cui ego interrogationi paucis. Ecquid tibi *a bibliotheca*, *a cubiculo*, *a toris Augusti*, *a veste*, *a potione*, *a cyatho*, *ab argento*, *ab argento potorio*, ut innumera alia horum similia missa faciam, quae Antiquariorum non dicam Atriensibus, sed Mediastinis notissima? *Praepositi* nomen, fidenter ais, his omnibus subintelligo. Subintellige, et ego addo, ad formulam nostram, Praepositumque habebis *a supellectili Corinthiorum.* Quaestionis pro titulo nostro iugulum petit *cotylus*, vas nempo ex una parte dumtaxat ansatum, titulo inferne insculptum. In quaestione altera enodanda breviores erimus, quae sic proponi potest. Vox *Faber* seiungendane, aut amice coniungenda cum formula *a Corinthiis*? Cui primum placeat, is Lucrinum agnoscat, necesse est, *praepositum a Corinthiis*, eumdemque *Fabrum*, *materiarium* puta: ita enim sine additamento alio nominatur *Faber*, in quem sensum apud Matth. (a) *Christus* dici-

(a) Cap. XXIV. v. 55.

tur, *filius Fabri.* Hoc sane sensu accipien i *D. Arta*, et *Anteros*, et *Phileros* Laterculi cuiusdam Mosei Borbonici, quorum cuiusque nomini addita vox *Faber.* At non ita Laterculi eiusdem *D. Arrius* dictus *Pictor idem aedi*, quem ego habeo pro *aedium pictore.*

Mihi prope certum, in formula nostra minime seiungendam vocem *Faber*, et referendam ad verba *a Corinthiis*, ut *Lucrinus Faber* omnino extiterit *Corinthiorum*, qui a Petronio item et *Faber*, et *Aerarius*, et *Artifex* nuncupatus. Sic paullo supra *Iubatianum Structorem* interpretabamur *a iuba structorem* exemplo tuti *a tutulis ornatricis.*

§. V.

DE SCR. LIBRARIA.

Marmor olim de Museo Farnesiano, nunc Borbonico, characterum nitore insigne, refert Gruterus (a), et post eum Fabrettius, quod tale est:

(a) Pag. 594. n. 3.

SEXTIAE. L. TERTIAE
TONSTRICI
SEXTIA. XANTHA
SCR. LIBRARIA
EM. OLL. $\overline{II}$

De marmoris τη' α'υτενθια primus, et unus dubitavit Maffeis parum idoneis inductus argumentis, quibus satis occursum in Comm. nostro VIII. in quo aliena curans meorum incuriosum praebui. De duabus namque Sextiis, quo nescio casu, tres commentus sum. Prima Sextia Liberta, cognomine Tertia, professione tonstrix, eaque defuncta. Sextia altera, item Liberta, cognomine Xantha, quae defunctae emit *ollam secundam*. Ordinalem quippe magis, quam absolutum agnoverim in nota numerica $\overline{II}$; quod Tonstrici satis *olla una* esse poterat (1). Utramque *Collibertam* puto, non Libertam Libertae, ut visum quibusdam: cum ambae servile cognomen praeferant, et *Sextium*, sive *Sextiam*, communem patronum, patronamve cieant.

Ad vocem SCR. ingentes movere fluctus

(1) Pag. 214. Inscript. Dom.

antiquariae rationis Triumviri nobilissimi Reinesius, Sponius, Fabrettius, qui eam recudi jubent in SER., ut loco *Scribae librariae*, serva libraria prosiliat in medium, quae ipsis est *Lanipenda*. Quibus si marmor ipsum contrectare manibus, legere, relegere, perlegere contigisset, ut nobis sorte datum, novissent utique viri summi, tantum sibi haud licere. Est enim in eo evidenter SCR. non SER. sine ulla vel levissima scalptoris τȣ σφλματος suspicione. Placet interim totam quaestionem hanc altius repetere, quo ad exitum sine ambage ulla perducatur.

Passim obvios se dant apud Inscriptionum collectores cum *Librariis* et *Servi librarii*, et *Librarii ad manum*, et *Scribae librarii*, et *Scribae ab epistulis*, quos ego postremos parum ab iis differre crediderim, qui *a secretis* audiunt. At *scriba ad manum* is fuisse videtur, qui, quod alius dictabat, ipse calamo excipiebat, qui Ulpiano fortasse *exceptor* fuit. Ut ut res sit, neuter cum *Librario* confundendus, cuius erat, libros transcribere. *Peto a te*, sic Cicero ad Atticum (1);

---

(1) Lib. XVI. Ep. 21.

ut quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem graecus, qui exscribat ὑπομνευτα *Librarius* a *servo librario*, conditione, non officio, differt. *Librarius* namque oonditione *ingenuus*, vel *libertus*: at *servus librarius* nomine praefixo conditionem suam iam prodidit. Ecquid enim aliud *servi* praefixum nomen? In veterum monumentis nihil mancum, nihil supervacaneum. Ecquid porro vetat, ut alias observatum, hominem liberum servili se mancipare ministerio? Liberi homines T. Laius Paratus, et Caius Aptus: qui tamen utrique *a Corinthiis praepositi.* Et *Sextus* (sic enim pro *Sextius* apud Gruterum (1) legendum puto) *Sextus*, inquam, *Paccius*, homo *ingenuus*, vel certe *libertinus*, sed tamen *Sex. Pompei a potione.* Titulus sic se habet:

SEXTIvS. PACCIvS
SEX. POMPEI
A. POTIONE

Quin mihi nec *Dispensator*, nec *Villicus*,

(1) Pag. 582 n. 3.

nec *Vicarius*, aut alius fere quilibet, *conditione servi sunt*, nisi *servi nomine* praenotentur. Profecto, nec ego, nec mecum alius quispiam, dubitabimus, quin *conditione* revera *servì* extiterint hi, quos ciet titulus a Fabrettio (1) relatus:

COMMVNIS. MARTIALIS
GEMELLA. GERMANI
HERENN.ORVM. SER

Quamobrem? quod nempe hi tres germani tales sine nucleo denuntiantur. Eccur ergo tales reputem, qui non hoc nomine cientur? At quidam, inquies, *servos* se produnt, quod uno *servitutis* nomine appellantur. Nihil, ego reponam, hoc argumentandi genere frigidius, aut falsius. *Dispensatores* quatuor supra viginti apud Fabrettium (2) uno *servitutis* nomine contenti proferuntur, qui tamen *Liberti* omnes, ut ex apposita unicuique nota LIB. Liberum quippe cuique, uno se, aut pluribus nominibus, conspicuum facere, eaque de causa factum, ut Libertorum plerique

---

(1) Pag. 58. n. 33.
(2) Pag. 206. n. 257.

in veterum dominorum obsequium prodeant in monumentis uno servitutis nomine contenti. At *conditionem* ementiri, ut in casu nostro, id vero lege vetitum, cum aliae pro *Servis*, aliae pro *Liberis* hominibus leges sint institutae.

Fuere nihilominus, damnatis temporibus, damnatae quaedam professiones, queis uni addicebantur *Servi*, quas inter munus profecto *gladiatorium*. De gladiatoribus idcirco nihil opus nomine *Servi* praefixo, qui professione sua et conditionem palam faciebant. Inde cum audis: DIOCLES. LONGINI. SP. et RVFIO. PETILLI. SP. et PELOPS. PETILI. SP. aliaque huiusmodi sexcenta, de *conditione servili* nihil est, quod dubites. Et tamen de *Familia gladiatoria* homines interdum etiam ingenui *spectandi* occurrunt, ut in talibus discas, regulis, quas dicunt, generalibus parum fidere. De his vero ita mentio iniicitur, ut de ipsorum conditione liquido constet. Talis *L. Stlaccius Bassus*, vir trinomius, idemque *gladiator*, apud Fabrettium (1). Talis est apud Gorium (2)

(1) Cap. I. n. 201.
(2) Tom. III. pag. 31.

Servilius Clemes, quorum uterque nec *Dominum* ciet, nec *Magistrum familiae gladiatoriae*. Sed per diverticula satis erratum. Ad propositam quaestionem propius accedamus.

Librarios novi bene multos cum praefixo *servi* nomine: *scribas librarios* nusquam incurri nomine eodem praenotatos. Idque non in unis observatum *Scribis Librariis Consularibus*, *Praetoriis*, *Aediliciis*, *Quaestoriis*, *Tribuniciis*, *Pontificiis*, sed ne in ipsis quidem *Scribis librariis* privatarum personarum. Quod plane argumento est indubio, et alterutros inter se longe differre, et *Scribarum librariorum*, prae *Servis librariis*, tum munus, tum conditionem, nobiliora fuisse. Et *muneris*, *officiive* quod est, servorum librariorum erat, libros glutinare, fortasse etiam adservare, quos *Scribarum librariorum*, qui eosdem scribebant, aut exscribebant, curae commissos, parum probabile videtur. Ad *conditionem* autem quod attinet, Tullius testatur, *Scribarum librariorum ordinem honestum* fuisse adeo, ut ex hoc ordine, ipso testante, ad *equestrem* facilis esset transitus. Quod de *Scribis Consularibus*,

Praetoriis, *Aediliciis* , *Quaestoriisque* puto intelligendum.

Verum enim vero iter huc usque expeditum impedire videtur Gruteri (1) titulus unus, in quo *Q. Fabius Cythisus* ; *Africani Lib.* et *Servus librarius Tribunicius* affertur ; et *Servus librarius trium Decuriarum* : et L. *item Nupidius Philumenus* , *Cythisi* frater , *servus* dicitur *Librarius Quaestorius* III *Decuriarum*. Sed iter , quod videbatur impeditum , sine ullo labore , per semet expeditur. De conditione *Cythisi* , et *Philumeni* nulla dubitatio , qui *Libertos* se produnt non requisiti a nobis. *Servos* itaque *librarios* se produnt *officio* , non *conditione* , quod ex praemisso trium nominum elencho iam ante innotuerat. In cuius rei confirmationem, multa inter, quae afferre , facile foret , libet exemplum alterum producere lapidis Farne-[illegible] nunc Borbonici , et a [illegible] m evulgati :

---

(1) Pag. 627. n. 5.

TI. CLAVD. AVG. LIB
GRATIO. LIVIAE
AVG. SER. A. POTIO
NE. S. T. T. L

Gratio heic dandi casus, Libertique cognomen, cuius rectus est *Gratius*, non *Gratio*: quod ideo dico, ne tironi fucum faciat *Rufionis* exemplum, cuius nominandi casus est *Rufio*, non *Rufius*. Fac enim, hunc non *Gratium*, sed *Grationem* nuncupatum: quis hic Tiberius Claudius, Augusti Libertus? anne unus iste Imperatoris Claudii Augusti Libertus, praetereaque nulli? *Gratius* igitur vetustum servitutis nomen. Vel sic tamen titulum recte acceptum in dubium revocat Maffeius (1), miratus, Augusti Libertum, eumdem et *Liviae a potione servum* esse potuisse. Atqui fere nihil hoc frequentius; taedetque et exempla supra relata commemorare, et novis, quae in promptu essent, augere.

Quaestionis nunc iugulus petendus. *Librarii*, sive *Servi*, sive *Scribae*, quicunque denique fuerint, *a libris*, nusquam *a libra*.

(1) Art. Crit. Dipl. p. 350,

nuncupati, quod Reinnesio primum, deinde Sponio, Fabrettio denique placuit.

Sextia itaque *Xantha*, *libraria*, sive *serva*, sive *scriba*, a *libra* numquam arcessenda fuerat, ut *Lanipenda* inde in scenam prodiret, ut hi volunt. Quod si *servos librarios* agnoscere necesse est, hominum ministerio mancipatos; eccur non *servas librarias* pro munere eodem Dominabus addictas? Et ex adverso, ut quaestionem omni ex parte ventilemus, si per hos *servae librariae Lanipendae* fiunt, cur non miraculo eodem et *Servi librarii* prodeunt *de libra* Lanipendii? qua vi *de libra*, veluti torculari, exprimetur *Libraria* pro *lanae pendendae* officio designando? an una *lana* pendebatur *libra*?

Qui *lanae* addicti, hi *Lanarii* γενικως audiebant, qui in *Lanarios coactores*, vel *coactiliarios*, et *pectinarios* subdividebantur. Ne pigeat, singulos a Grutero discere. De Lanario sic (1):

---

(1) Pag. 648. n. 2.

C. CAFVRNIVS
C. L. ANTIOCHVS
LANARIVS
VETVRIA. C. L
DÈVTERA
MONVMENTVM· FECIT. SIBI. ET
SVEIS. IN. FR. P. XV. IN AG. P. XX.

De *Pectinariis* ita (1) :

ACCEPTONIAE
SERVO
LANARI. PECTINARI
SODALES. POSVERE

De *Lanariis coactoribus*, sive *coactiliariis*, sic (2) :

(1) ibid· n. 3.
(2) ibid. n. 3.

DIS. MANIBVS
L. CORNELI
IANVARI
QVI. VIX. ANN. XVII
LANARI. COACTOR
ET
L. CORNELI. PRIMION
PATRIS

Postremis hisce verbis intellige, monumentum a Lanariis conditum Diis Manibus et L. Cornelii *Januarii*, *Filii*, et *L. Cornelii Patris*, cui *Primio* cognomen. Pro *Lanipendio* sic (1):

MVSAE. QVASILLAR.
VIX. AN. XXX
CRATINVS. LANIPEND.
DE. SVO

Unde *Quasillariae*, a *quasillis* dictae, munus aliud *lanarium* datur intelligi. Pro *Lanipenda* demum femina testimonium dicet luculentissimum Fabrettius (2):

(1) ibid. n. 5.
(2) Pag. 214.

D. M
IRENES
LANIPENDAE
V. A. XXXIII
OLYPVS
CONTVBERNALIS
FECIT

De *lana* in lanariis Latinorum officinis, praeter supra commemorata, haec diducta nomina hactemus accepimus. *Lanistaturam facere* est in Tab. Heracl. (1), quod est *lanariam exercere*; et *lanificus*, et *lanifer*, et *laniger*, et *lanificium*, et *lanities*, et *lanitium*, et *lanatus*; et nihil demum ad *lanam* pertinens, quod non *lanam* ipsam prima facie obtrudat. Quid nunc *lanae* commune cum *libra*? Hac siquidem *lana* pendebatur. Quasi non et *libra* eadem bubalina, suilla, et bovilla penderetur! *Librariae* itaque voci alia penitus a *Lanipenda* subiecta notio; mirandumque, pro *lanipenda* insertam a Calepino, Facciolato, et Forcellinio *librariae* vocem, Reinnesii auctoritate inductos, immo verius seductos.

---

(1) Vers. 49.

Nec illud concesserim ; quod hi , Scholiastae cuiusdam auctoritatem secuti , asserunt , pro *Lanipenda* accipiendam fore *Librariam* illam , de qua sic Juvenalis (1) :

Si nocte maritus

Aversus iacuit, periit LIBRARIA. *Ponunt Cosmetae tunicas.*

Eccur enim , egoaio , non haec *Libraria scriba potius* , aut *serva a libris* , intelligenda , quam *Lanipenda* ? *Lanariae* siquidem abictissimum , contemptissimumque officium , ut e Petronio discimus ; dominaeque propterea diris agitatae *servam* verius huiusmodi , seu *scribam librariam* , cum *Cosmetis* eo tempore adstitisse , dixeris , quam vilem *Lanipendam* in lanae ministerium latitantem , quo nescias , domus angulo , procul a dominae cubili.

At vox *Scriba* , addit de penu sua Fabrettius , generi nobiliori , nusquam sequiori inservit. Mirum , haec afferri a Fabrettio ,

(1) Sat. VI. v. 475.

Larum Latialium cultore minime perpetuo. Atqui vel ex hoc exemplo uno doceri oportuerat, vocem *Scribae*, communem fuisse viris iuxta, ac feminis. Etsi enim animantes inter Ερμαφροδιτος revera nullus; ad voces tamen quod attinet, quae institutione, non natura, stant, innumerae generis huius miscellanei passim obviant non in romano tantum, sed et in alio quovis sermone.

Gravius, quod e Columella obiiciunt Triumviri nobilissimi, penes quem vox *libraria* duplici in loco est *libralis*, pondo videlicet librae unius. Prior ita habet (1): *caro in libraria frusta conciditur.* Alter sic: *frusta enim eius libraria non alia esse possunt, quam frusta unius librae* (2). Quo quid luculentius.

Atqui mihi nemo extorserit, a voce *libra libralem* fluere, minime *librarium*, quae *librorum est*; quemadmodum a *trabe trabalis*, non *trabarius*, uti ex adverso e *pede pedalis*, minime *pedarius*. Nec enim mihi unquam persuaserit vir egregius, mei-

---

(1) *Lib: XIX. cap.* 2.

(2) *Lib. ult. cap.* 53.

que amicissimus, Zannonius, *pedarii* vocem in Marmore Puteolano stare fortasse pro *pedali*. Nec enim in eo de *ligni*, cui additum *pedarii* επιθετον, *quantitate*, sed *qualitate* mera agitur, ut monitum, cautumque pro *ligno abiegineo*, *robusto*, *aesculineo*. Lignum itaque *pedarium* est, quod propius ab radicibus abest, eaque de causa adversus caeli intemperiem contumacius. Sed redeo ad rem propositam. Plinius (1) *librali pondere*, non *librario*, inquit. *Excedunt magnitudine mali cotonei etiam librali pondere*. Et *aes*, *librale* vulgo dictum, non *librarium*. Ipseque Columella (2) *librales*, *offas*, non *librarias* dixit: *librales offas in praesulsae adipis liquamine tinctas lingula demittito*. Verendum igitur, ut *scribarum* olim oscitantia *libraria* pro *libralia* irrepserit in duplici illo loco, a quo praecipuum adversarii pro opinione sua petitum auxilium. Sed esto tandem *libraria* idem, ac *libralis*, ut cum his liberalissime agamus. Quid vero tum *serva libraria* per hos, si cum Columella suo

(1) *Lib. XIX. cap. 2.*
(2) *Lib. VI. cap. 2.*

facere velint, tantidem erit, ac *ancillula pondo librae unius.*

Spectatum admissi, risum teneatis, amici? In virum Cl. Marinium, quem honoris gratia perpetuo nominatum volo, unum, illudque leviusculum. Inscriptionem producit (1), quae huiusmodi est.

SILVANO SAC.
L. GAVIVS
AGATHO . DE
SOLO . RESTITV
ENDVM . CVR
VOL. L. N

Versum ultimum ita interpretatur vir summus: *voluntate Lucii nostri*, multaque erudite profert, de more, in formulam hanc sive insinuandam, sive exponendam. Sed non erat his locus. Gavius enim ipse profitetur a se *de solo sacrum* restitui curatum Silvano. Quo nunc nexu sermo a Gavio ad alium transfertur, qui moneat, id curatum *voluntate L. nostri?* In menda cubat ini-

(1) *Fr. A. pag.* 716, *not.* 49.

tialis N., quam esse oportuerat M. Marmor siquidem *sacrum* est, nihilque in his sollemnius formula V. L. M., idest: *Volens libens merito.* Sed religio incesserat virum cum paucis comparandum, quidquam in marmore immutare, quod monimentum esto audacioribus, ne in veterum monumenta, qua scripta, qua sculpra manus temere iniiciant, et pro medicina, vulnus faciant.

§. VI.

Petronii, Tacitique loci nonnulli temere a quibusdam sollicitati.

Veterum monumenta tractanti saepe accidit, ut de alio in aliud per gradus transeat, eoque demum haud raro deveniat, cuius ne somniando quidem venisset olim in mentem. Mihi semper cum viris doctis persuasum, constitutumque est, maximam horum τοις εκτυποις deberi reverentiam, sive scalpta ea sint, sive scripta, quales, qui vulgo *Codices* appellantur. Quod si quid in iis erratum, corrigendi quidem, quibus lege Lipsia permissum, ius est: sed integra interim,

sartaque vetus lectio servetur, etsi falsa, utpote ex qua fortasse alius auspicatiorem exfundere correctionem aliquando possit. Idque observandum praecipue in *aereis*, *lapideis*, *figulinis* τοις κειμελος, aliisve huiusmodi, quae fere semper unica, et τα αυτογραφα; cum *Codices* et plures saepe numero exsistant, et alius ex alio descriptus. Neutra tentanda, nisi de errore certissime constet, corrigendique arbitrium intra certos fines coercendum, quod eo redit, ut correctio minimum a litera abeat, spatiis autem ne latum quidem unguem. Error aut in *verbo* latet, vel in *sententia*. Falsa, ad minus suspecta semper, inaudita verborum monstra; praesertim si eorum nullum deprehendi vestigium possit e vocibus sono adfinibus, si quae sunt. Ex *sententia* facilius, auspicatiusque erroris ducitur coniectura. Si enim verba ad rem non faciant, aut etiam cum re ipsa pugnant, eccui dubium, errorem in his irrepsisse? De his nisi certo ante constiterit, nemini, quantavis liceat polleat vel ingenii dexteritate, vel doctrinae copia, in veterum monumenta audendi quidquam ius est. Quae omnia placet, auctarii loco, selectis qui-

busdam exemplis et inculcare, et confirmare.

Locus est Petronii (1) perobscurus, et abs commentatoribus vexatissimus, in quem pauca praemittenda. Niceros, coena absoluta Trimalchionis rogatu, quo accubitoribus fastidium minuat, de creditis vulgo *τοις μορφορυκειοις* dicere instituit. Narrat autem, se nocte quadam a milite mirifice illusum, qui primo vestimenta sua secus viam posita circumminxit, deinde subito lupus factus est, ululansque in silvas fugit. Niceros ad seposita militis vestimenta post haec accedens versa in lapidem deprehendit. *Gladium tamen strinxi*, sic ille apud Petronium, *et* MATAVITA *tau umbras caecidi*, *donec ad villam amicae meae pervenirem*. Quidam *in umbris tau* mortis umbras sibi videre visi sunt. Verum non T, sed Θ mortis *το σημειον*; umbrasque tau caedere, nihil aliud est, quam *frustra laborare*. Ecquam enim umbram litera T inducat? et si inducat, quo gladio caedas? Sententia intellectu facilis, nulloque Oedipo indigens. Nodus est in voce inaudita MATAVITA.

---

(1) Cap. XXXVIII.

Boschius missam facit, nec salutare dignatus. Est, qui in tria commata dispertitam velit, graecorum nempe μx in iurandi potestate; τx, nescias, graecum, anne latinum; et *vita* demum, de cuius fundo nulla dubitatio. Sensus esset: Niceros visu perculsus, strictoque gladio fugiens, minitatur, ut ne quis ad se, *si vivere velit*, accedat. Sententia siquidem opportuna: sed post vocem *Matavita* videbatur addendum: *minitans*, *clamans*, aut simile aliud. Legendum suspicabar *tota via*, quod minimum aberat a litera, vel etiam *media via*, quod posterius non sine voluptate post legi, placuisse olim Cl. Burmanno. Verum enimvero in confesso est, Codices habere *matavita*. Nihil igitur audendum duxerim contra *Codicum* fidem; vocemque *Matavita* ex plebeis, quae perfamiliares sunt Satirico nostro, unam esse censeo, qua ridiculario stilo gladius sit insinuatus, ita dictus vulgo, quasi *mactans vitam*. De Petronio ad Tacitum transferatur oratio.

Annal. Lib. XII. sic habetur. *Quin et incestum, ac si sperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur.* Deque

Agrippinae studio agitur nuptiarum publice celebrandarum cum Claudio, patruo suo, quocum parum honeste faciebat. Quid ad haec Boxhornius? *haerent hic omnes*, ait, *et nonnulli aliter, atque aliter interpretantur*. Ego, nec cur hi omnes haereant, video, nec cur *Boxhornius inceptum* reponat pro *incestum*. *Incestum* heic in nominandi casum usurpatur, ordoque verborum est : *quin et metuebatur, ne incestum* (talis quippe Agrippinae cum Claudio familiaritas et erat, et videbatur omnibus) *erumperet in malum publicum, ac si* (idest *tamquam si*) *sperneretur*. Quid his sincerius, et ad fidem historiae accomodatius?

Sed et Ann. XIII. parum quoque sanum censet locum hunc: *Nero autem metuentior in posterum milites sibi, et plerosque gladiatorum circumdedit*. Malum Boxhornio subolet in vocula *metuentior*, cui medicinam parat de suo comminiscens *metu intentior*. Atqui nullus medicinae huic locus, nihilque de loco movendum. Insinuat quippe Tacitus *metum*, quo Nero nocturno illo tumultu cum Julio Montano correptus fuerat in eo temporis articulo; ex quo consilium iniit

cautius in posterum noctu grassandi per vias. *Metuentior* itaque, minuendi specie, heic est *paullo metuentior*, uti *tristior* pro paullo *tristiore* Interpunge igitur sic: *Nero metuentior in posterum* cum caeteris, quae sequuntur. Tacitum Tacitus interpretetur. Annal. XVI. de Silano loquens, cui exitium patrui metum ingentem incusserat, cavendique sibi curam auxerat pro *tempore futuro*, sic ait: *Silanus intentior metu, et exitio patrui, ad praecavendum exterritus erat*. Paucis: *metuentior metum* praesentem, *metu intentior* futurum respicit. Stet itaque loco suo *metuentior*; stet et *metu intentior*; quando utrique bene pro merito consultum, sensu cuique accomodatissimo.

Male quoque cum Lipsio Grotius facit, ut una ex condicto locum Histor. XIII. sanissimum corrumpant medendi cupiditate importuna incensi, ubi nullus medicinae locus Lectio vulgata sic habet: *Ituram* Agrippina minitatur *cum illo* (Britannicum intellige) *in castra. Audiretur hinc Germanici filia: inde debilis rursus Burrhus, et exsul Seneca, trunca scilicet manu, et professoria lingua generis humani regimen expostulantes.* Lipsio pro

rursus placet *rufus*. Male. *Rursus* heic est *e regione*; seu ex *altera parte*, adversaturque particulae *hinc*, qua utitur Agrippina; *audiretur hinc Agrippina : inde debilis rursus Burrhus*. Pessime Grotius et *rufus* probat, et pro *debilis* supponit *bile*, quod in Codice Vaticano est *bibil*: rationemque affert adhuc peiorem, quod *ex tali corporis concretione talis color*, haec enim eius verba. Atqui *biliosorum* color *flavus*, vel ικτερικος, non *rufus*. Vaticani Codicis το *bibil* evanidum est *debilis* breviate. Paucis : locus facle omnis una literulae additione restituitur, si tamen restitutione egeat. Pro *trunca manu in auferendi* casum, legatur *trunca manus* casus recti. Sensus erit : *qui nunc Arippinam contra, Britannicumque generis humani regimen expostulent?* scilicet *trunca manus*, quo Burrhus et indicatur per contemptum, et mordetur; et *professoria lingua*, quibus verbis exsul Seneca signatur, qui literas docendo profitebatur. Caute addidi, *si restitutione egeat*. Nam utraque vox firmo etiam talo stat, si pro auferendi casu, ut in vulgata lectione, accipiantur, referenda alterutra εν δυοι δυο ad praecedentia. Hoc

est: ille (Burrhus) *trunca manu*: hic (Seneca) *professoria lingua*. Verum hoc in casu sententia quidem vera, sed minus tamen pro rei dignitate, Historicique ingenio, vehemens, cur non et paullo frigidiuscula? Quodcunque *mavis*, et locus sanissimus, et medicorum labor frustraneus.

Nec minus improspere sollicitandum Boxhornius aggreditur illud Taciti eiusdem Annal. XVI. *Dantur triremes, et delectum navigium iuvandae festinationi*. Quid, inquit, Boxhornius, *triremes, et navigium hoc loco distinguuntur? an non navigii nomine etiam veniunt triremes?* Frigide prorsus! sed quorsum evadat, videamus. *Navigium* corrigi mavult *remigum*. Eodem iure et *laetitiam*, in *tristitiam* commutaret. Τῳ *delectum* quoque *delectus* foret substituendus.

Sed Tacitus non *navigium* sine addito dicit, sed *navigium delectum*, conspicuum videlicet prae triremibus caeteris, utpote quod conscendemdum a Cesellio Basso, thesaurorum promissore magnifico. Ad haec: si *remigum* per Boxhornium *delectus* esse potuit, cur non et *navigii*? Pauca nunc de Historiis ejusdem Cornelii delibemus.

Lib. III. legitur sic : *trahuntur in partes Sido, atque Italicus, Reges Suevorum, quibus vetus obsequium erga Romanos, et gens fidei commissae patientior.*

Postrema haec verba sic refingi cupit Boxhornius: *gens fidei commissa potentiorum.* Quaenam haec terrae, caelique commixtio? Satis erat vocem *commissae* una literula *e* multasse, ut superesset *commissa*; quod recte factum. Tacito quippe propositum erat monere, nullum Romanis ab regibus *Sidone*, atque *Italico* timendum idque duplici de causa. 1. quod Regum Sulvorum vetus in Romanos obsequium erat. 2. quod gens horum *fidei commissa*, *patientior* erat, talis nempe, quae non facile novis inhians a fide romanorum deficeret. Recte igitur cum Taciti sententia constant et Taciti verba, si unius literulae *e* impendio.

Hist. item V. ineptire mihi Grotius videtur in verba illa Taciti: *Mosen, unum exulum, monuisse, ne quam Deorum, hominumve opem expectarent, ab utrisque deserti: sed sibimet, ut caelesti Duci, crederent* PRIMO. Rectissime *το primo*, idest *prae omnibus*, et *ante omnes.* Grotius ma-

vult PRIDEM. Sed το *pridem* de *praeterito* est, cum Moysi propositum foret, Judaeis monendo cavere in *posterum*.

Nec spere magis videtur, cum locum hunc alterum Libri ejusdem solicitat. Locus est: *incertae undae superiecta* (corpora) *ut solido, feruntur*. Quid ille ad haec? *Scribe*, inquit, *inerti undae*, *quod verum est Asphaltitae* ἐπίθετον. *Sic iners Cocytus apud Senecam*. Grotii verbo nemo audiens esto; nam Taciti mentem non est adsecutus. Historicus de corporibus undae supernatantibus, tamquam si *in solido* essent, mentionem iniicit; quae porro corpora non *immota* consistunt, sed hac illac *feruntur*, *undae incertae*, non *inertis*, arbitrio. Atque heic itineris fesso liberius ultra excurrendi finis esto.

F I N I S.

